

1+2 / 85

IDIBVS FEBRVARIIS

MCMLXXXV

VARIVS
ROR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
ROR VARIVS
A DIVT

TOMUS 8

FASC. 51

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulis
annis editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maris sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Placidi legentes,

libenter exclamarem: Nunc est iubilandum, nunc pede libero pulsanda tellus! Sed eheu! Non habeo quod tam laetus exclamem. Namque non sum immemor facti illius tristis, quod libellum RVMORIS VARIII pro mense Decembre propositum promissumque sero, non prius quam mense Ianuario accepistis. Oro vos et obsecro, ut ignoscatis nobis redactoribus, qui pigriores fuerimus et ante festos dies natales Christi et postea, quam ut praeter munera nostra cottidiana RVMORI VARIO etiam conficiendo dederimus operam.

Cuius lamentabilis certo facti causas concedite, ut vobis, placidi legentes, exponam!


Quisque nostrum, qui RVMOREM VARIIVM edendum curamus, officium habet principale, id est officium vitae suae suorumque sustentandae, cui officio nimirum praeter cetera omnia satisfaciendum est quodque neglegere summopere esset ignominiosum. Nunc autem qui sumus nos redactores? Vobis exponam: alius nostrum se proficitur magistrum ludi, alius rectorem ludi Latini, alius sacerdotem, id est pastorem gregis christiani, alius medicum, neque desunt, qui supremam scholam, Universitatem nomine, frequentent, ubi officiis cottidianis non minus est fungendum. Ita fit, ut RVMORI VARIO edendo omnibus nobis id tantum temporis dari possit, quod officiis supra dictis superest. Sed Medius Fidius vos audio clamantes: "Et feriis circa diem natalem Christi ubi fuistis? Quid tum egistis? Tumne quoque officiis vestris cottidianis opprimebamini? An non potius nimis pigri fuistis RVMOREM VARIIVM neglegentes?" Audio, audio voces vestras amaras neque quicquam aliud habeo dicere nisi: peccavimus, peccavimus ignoscite! Attamen, ne nimis sim modestus, unum etiam vos interrogare audeo:

"Nonne putatis redactores quoque RVMORIS VARIII, ut praetera ceteri cives nostri omnes, meruisse aliquomodo, ut otium feriaeque iis concedantur opprobrio nullo?"

Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



DE LINGUA LATINA IN VITA COTIDIANA USA AUT LINGUA
LATINA SEMPER VIVIT

Ad causam linguae Latinae accendendam non iam contendimus, nam lingua illa, quae tot saeculis lumen in orbem nostrum intulit, hodie plurimis hominibus, qui litteris incumbunt, denuo cara et accepta est. Quod progressus recentes in scholis et in universitatibus nostris profecti plane confirmant. Haud paucos annos lingua Latina in summis angustiis erat, cum utilitas eius a multis hominibus leviter eruditis abiudicaretur.

Exstat autem ac apparet mortales neque mercaturas faciendo neque satellites artificiales circum terram volvendo ad veram vitam propius accedere. Qua de causa animi hominum ad Latinitatis studia instauranda denuo incensi sunt.

Lingua Latina, quamvis his temporibus meliore fortuna iam utatur, tamen arcere magis quam inferre pugnam videtur.

Eget enim vocabulis ad vitam cotidianam aetatis nostrae necessariis. Persaepe lingua Latina linguis hodie usitatis obruitur. Lingua Latina uti non possumus ad emendam hispanicarum capsulam in taberna tabacaria. Quae cum ita sint, nostrum est et docentium et discentium de usu linguae Latinae excitando et fovendo agere atque curare, ne mater illustris tot morum Europaeorum vitam inopem inter nos vivat. Discipulae meae secundum annum Latinitatis agentes, viribus unitis, linguam Latinam illustrare et in antiquum locum dignitatis restituere volebant. Itaque magno cum studio instrumenta omnis generis velut capsas capsulasque et textus scriptos ad merces melius vendendas vel textus usum rerum explicantes domo afferebant. Quadraginta sex rebus collectis discipulae enitebantur, ut originem Latinam verborum rebus inscriptorum reperirent. Res ante oculos hominum, qui viserent, ponendae, in ordine dispositae, generibus subiectae sunt. Pertinebant exempli causa ad suppelectilem, ad victus, ad medicinam, ad mundum muliebrem, ad technicam.... Discipulae machinam scriptoriam adhibentes catalogum composuerunt, qui una cum rebus oculis proponeretur. Haud facile erat res cotidianas velut pastam dentariam aut textum usum machinae calculatoriae docentem pulchre exponere. Tabulae permagnae a discipulis pictae efficiebant, ut res propositae oculorum commendatione animis hominum melius traderentur. Non solum laborum eventus, sed etiam viae rationesque, quae eo, quo intendis, ferunt, permultum valent. Discipulae sane horis investigandi "actores" fiunt. Magistra plerumque ad docendi rationem delabens horis his omni mente in cogitatione versatur. Libros evolvit. Emendatrix quidem est, sed textus discipularum emedans emendat se ipsam. Qua ratione disciplina minime gravis est. Discipulae iucundius linguam Latinam discunt. Initio Latinitatis enim grammatica exercitationibusque refertae varietate valde gaudent.

Eventus quidam tangibilis iam cernitur in catalogi praefatione a discipulis subscripta: "Conatae sumus reperire verba quam plurima originis Latinae. Persaepe in admirationem convertebamur. Lexicis nostris editionis Langenscheidt atque volumine septimo etymologiae Duden usae sumus. Haud ignoramus nostrum catalogum modicum hominibus doctis

satisfacere non posse. Horis investigandi autem bene confirmatae sumus linguam Latinam etiamnunc vivere."

Textus conversus est a me e sermone Germanico in linguam Latinam, salvo sensu. In sermone Germanico scriptus divulgatus est annalibus scholae nostrae.

Barbara Maier



Graecorum philosophorum sententiae

Cum Diogenes de rebus seriis dissereret neque quisquam veniret auditum, coepit avium cantum voce imitari. Congregatis tum plurimis, eos vituperavit et maledixit, quod ad ineptias studiose concurrerent, ad res serias autem neglegenter morarentur.

Aristippus apud Dionysium tyrannum amici cuiusdam gratia preces protulit; tyranno negante ad pedes se proiciens animum eius flectere conatus est. Cum quis eum propterea irrideret, Aristippus "Non est mea culpa", ait, "sed Dionysii, qui aures in pedibus habet."

Roganti, qua hora prandere oporteret, Diogenes "Si dives es", inquit, "quando vis, si pauper es, cum quid cibi habes."

Orphicis mysteriis (1) cum Antisthenes initiaretur (2) et sacerdos dixisset: "Ii, qui mysteriorum participes sunt, ad inferos multis bonis fruuntur", philosophus respondit: "Cur ergo ipse non moreris?"

Loquaci homini, qui ab eo petiverat, ut sibi in lite (3) adesset, Bion "Libenter id faciam", inquit, "si advocatos mittes et non ipse venies."

Ingenio asperiori Xanthippes uxoris ita congreduendum esse ut equites animosis equis, monebat Socrates. "Nam sicut illi, cum eos mansuefecerunt, reliquis facile utuntur", ait, "ita et mihi post Xanthippes usum conversatio reliquorum hominum facilis est."

Navigans cum hominibus perditis in piratas Bion incidit. Illis clamantibus "Peribimus, si agnoscamur!" Bion "Et ego", inquit, "peribo, nisi agnoscar."

Eleganter Alexandro Magno ille pirata comprehensus respondit, qui, cum ex eo quaereretur, quo iure mare infestaret, libera contumacia "Eodem iure", inquit, "quo tu orbem terrae. Sed quia ego id navigio facio, latro vocor, tu vero magna classe, imperator vocaris."

* * * * *

Inimicos nobis diligenter observandos esse dixit Antisthenes, quia nemo vitia nostra melius sentit quam illi.

Exprobranti, quod nequam homini stipem dedisset, Aristoteles "Non morum", inquit, "sed hominis miseritus sum."

Socrates cum multitudinem eorum, quae in foro vendebantur, intueretur, dicere solebat: "Quam multa non desidero."

Suasit Antisthenes Atheniensibus, ut suffragio asinos equos esse constituerent. Illis dicentibus id ab omni ratione alienum esse Antisthenes "Apud vos", ait, "etiam fieri solet, ut ii, qui nihil didicerunt, imperatores et duces creentur, nulla alia de causa quam quod vos in contione manus attollitis."

Interrogatus, num dies aut nox prior facta esset, Thales respondit: "Dies una nocte prior."

Cum Athenienses Diogeni persuadere vellent, ut mysteriis

initiaretur, et dicerent mysteriorum participes ad inferos principatum obtenturos, ille "Ridiculum esset", ait, "si homines egregii non initiati in caeno inferorum degerent, viles autem et nequissimi homines tantum propterea, quod initiati sunt, beatorum insulas habitarent."

Anacharsis se mirari (4) dicebat, quod Graeci eos, qui alicui vim intulissent vel alias iniurias commisissent, legibus constitutis punirent, athletas vero, cum se invicem ferirent et prosternerent, honorarent.

* * * * *

Grammaticos Diogenes mirabatur, quod Homeri et reliquorum poetarum antiquorum vitia requirerent, sua autem ignorarent.

Antisthenes discipulo deploranti, quod commentarios (5) perdiderat, "Opportebat ista animo", ait, "non chartis inscribere."

Bion invidiosum quendam hominem stomachosum esse videns dixit: "Nescio, utrum tibi aliquid mali an alii (alteri) aliquid boni acciderit."

Interrogatus, cum aurum pallens (6) esset, Diogenes respondit: "Quod multos insidiatores timet."

* * * * *

Oratores reprehendebat Diogenes, quia de rebus iustis perpetuo loqui studerent, non autem eas etiam facere.

Legibus naturam, fortunae casibus animum fortem, affectionibus rationem se opponere dixit Diogenes.

Glorianti cuidam, quod multa didicisset, Aristippus respondit: "Sicut non qui plurima comedunt melius valent quam qui necessaria sumunt, ita non qui plurima, sed qui bona et utilia discunt, vere eruditi existimandi sunt."

Anaxagoras cum de filiorum morte certior factus esset, dixisse fertur: "Non ignoravi me mortales eos genuisse."

* * * * *

Maledicta et convicia cum Xanthippe in Socratem ingessisset, postremo et aquam in caput eius effudit. Tum Socrates: "Nonne dicebam Xanthippem tonantem etiam pluituram?"

Aristippus, cum Dionysius eum iussit ex tribus meretricibus eximia pulchritudine unam sibi eligere, simul tres abduxit dicens: "Etiam Paridi non expedivit unam ceteris praetulisse." In vestibulo autem eas dimisit.

Referenti cuidam "Athenienses te mori decreverunt", Socrates respondit: "Iam pridem et illos mori natura decrevit."

Imperitum sagittarium cum videret, Diogenes iuxta scopum (7) consedit dicens: "Ne forte me feriat."

Alicui dicenti: "Sinopenses (8) exilii te damnaverunt", Diogenes "Et ego", ait, "mansionis eos damnavi."

* * * * *

Diogenes dicebat: cum gubernatores, medicos philosophosque in vita intueretur, hominem omnium animalium sapientissimum sibi videri; cum autem contra somniorum interpretes, vates et credulos eorum assectatores admiratoresque vel eos, qui gloria aut divitiis inflati essent, inspiceret, nihil stultius se existimare homine.

Ex aliquo, qui de rebus caelestibus disserebat, Diogenes quaesivit: "Quam diu est, ex quo de caelo descendisti?"

"Nequeo de deis scire neque, an sint, neque, an non sint", Protagoras dixisse fertur. "Multa enim id cognoscere prohibent: et illius rei obscuritas et hominis vitae brevitatis."

Interrogatus, quid lucri aliquis ferret mentiens, Aristoteles respondit: "Id, ut, etiamsi verum dicat, nemo ei fidem habeat."


Stultitiae esse Diogeni videbatur, quod homines sacrificiis magnificis bonam valetudinem a deis petebant, inter

sacrificia autem tam opulente cenabant, ut valetudini suae nocerent.

Egredientem e balneis publicis Diogenem aliquis interrogavit, num multi homines in balneis essent. Ille: "Non." Tum alter: "Sed multum vulgus (9)?" et Diogenes: "Recte."

- | | |
|----------------------|--|
| (1) mysteria, -orum | Geheimkult, geheime Lehren |
| (2) initiare | einweihen |
| (3) lis, itis | Prozess |
| (4) mirari | sich wundern, etwas seltsam finden |
| (5) commentarius, -i | Heft |
| (6) pallens | blass |
| (7) scopum, -i | Ziel |
| (8) Sinopenses | Einwohner von Sinope, einer Stadt am Schwarzen Meer, Heimat des Diogenes |
| (9) vulgus | Pöbel |

Daniel Weissmann



Aliquid cultus muliebris

Iam paucos menses omnes mulieres, puellae et adulescentes et matronae, ad tonstrinam concurrunt, pulchrarum comarum iacturam libentissime facientes. Signum datum est: secentur crines! Valete, concinnatae et crispatae comae, valete, promissi ac soluti crines! En oritur, mutabilibus auris ductus, recentissimus mos muliebris. Maxime curtus viget capillus. Frons, aures, cervices, genae omnino nudantur, caput fere ad cutem tonsum. Iam post prius bellum universarum gentium secunda decade saeculi nostri primum mulieres forficibus obtulerunt summum capitis facieique decus. Desiit capillorum servitus una cum gunnis ad talos

provectis. Breviores factae sunt gunnae simulque crines. Postea, sed tarde, longitudo capilli iterum crevit adeo ut sexta decade aetatis nostrae denuo in morem venerint promissae comae, ad Sueticum morem defluentes, levissimae summaque arte expolitae. Sed nunc tonsores iterum rasorii forficumque ludo oblectantur et femina ipsa gaudet novissimam sui imaginem praebere, detecto tandem vultu.

Ad fluentes crines assuetis capita feminea, spisso honore pilorum omnino viduata, pulli gallinacei videntur aut implumes aves ut primum ab ovis exierunt. At varias sententias promentes tonsores expertissimi praeciso gestiunt capillo; mos nuperrime vulgatus - pollicentur - prosperrime eveniet in omni orbe terrarum, oppexus erit anni MMi. Capillus brevissimus florem aetatis mulieribus, etiam provectis, reddit - talia affirmant - annosque repente aufert. Omnes puellulae videntur! Et chorus muliebris resonat: Bene forfices, dummodo manibus peritis commissas! Mihi autem persuasissimum est nos omnes exsecto capillo paulatim consueturos esse. Nonne ad gunnas supra genu desinentes oppexumque "garçonne" nuncupatum maiores nostri plane assueverunt?

Hanc rogationem fero ad universas Latinitatis amantes, quae hoc scriptum legent: breves an promissos mavultis crines? Quae vestrum etiam nunc exhibere audeat chiliometricam comam? Si exstant, mihi scribite, quaeso, ut SOCIETAS PRO CAESARIE TUENDA, ut ita dicam, una instituat.

Prof. Florindo Di Monaco
Via Michele Monaco, 152

I-81054 San Prisco (Caserta)

Italia

Florindo Di Monaco



Facete lepideque dicta

Mortem aegrotus obiit sanatus

Carolus autem Delonus (Charles Delon, 1750 - 1786), medicus ille Francogallus celebrer praemature iam defunctus, a propinquis aegroti cuiusdam obiurgatus erat verbis criminosis his: "Nunc attamen aegrotus noster mortuus est, quamquam eum sanaturum posse sollemniter promiseras!" - Tum medicus aequo animo: "Mors eius", inquit, "me non commovet. Vos autem non adfuisits, ergo processum sanationis dignoscere omnino non potuistis. Ille enimvero mortem obiit sanatus!"

* * * * *

Consilium bonum et laudabile

Michael Ferdinandus de Alberto de Allio comes de Cannis (Michel Fernand d'Albert d'Ailly comte de Chaulnes, 1714-1769), locum tenens generalis et physicus ille Francogallus celebrer, uxorem eius Annam Iosepham Boniarium de Montione comitissam de Cannis (postea dominam de Gaiaco) (Anne Josephe Bonnier de la Mosson comtesse de Chaulnes, Mme. de Giac, 1718-1782) coloribus effingi iussit a pictore quodam sicuti deam iuventutis Hebem (Iuventas, filia Herae (Iunonis) atque Iovis, uxor divi Herculis). Dubius autem incertusque quomodo semetipsum a pictore effingi censeret, Iohannam Franciscam Quinaltam (Jeanne Françoise Quinault, 1699-1783), actricem scaenicam illam celeberrimam Comoediae Francogallicae (Comédie Française) consuluit. Ea autem compsissume promptissimeque: "Fac", inquit, "ut effingaris sicuti Hebes aut Hebetatus!"

* * * * *

Hamo piscari

Quinque hamiotae ad tabulam cervisariam sedentes de causis hamo piscandi inter se altercantur.

Alter: "Ego autem hamo piscari soleo, quia hamo piscari pro memet est exercitatio gymnastica!"

Alter: "Egomet autem otii causa hamo piscor!"

Alter: "Egomet autem sedationis animi causa hamo piscor!"

Alter: "Egomet autem passione commotus hamo piscor!"

Alter: "Et egomet autem hamo piscor, ut interdum piscem quendam capiam!"

* * * * *

Facta non ambigua

Nostine adhuc:

quingenta centesimarum portiones (50 %)
omnium coniugum esse masculini generis?

omnes quattuor caeli regiones
etiam sub aqua, quin etiam in specubus valere?

tetemet plus minusve duos habere pollices,
sinistrum et dextrum?

* * * * *

De ea re dissensio revera est nulla

Multi homines nimis bene educati sunt, ut pleno ore loqui auderent, sed sine ulla dubitatione id vacuo capite facere omni tempore ausi sunt.

Georgius Orsonius Velles (Georges Orson Welles)
die VI^o mensis Maii anno MCMXV^o natus.

* * * * *

Aemilius de Campis de arte medica

Aemilius de Campis de Sancto Amando (Emil Deschamps de Saint Amand, 1791-1871), scriptor ille celebrer Francogallus, frater Antonii de Campis de Sancto Amando (Antoine Deschamps de Saint Amand, 1800-1869), poetae Francogalli, qui "Divinam Comoediam" Durantis Aligierii de Bellincione (D(ur)ante Alighieri di Bellincione, 1265-1321), poeta illius Itali omnibus noti ex Italico in Francogallicum sermonem convertit seu transtulit, de arte medica de suo sensu ita iudicavit: "Medicinam autem artem esse puto, quam medici interim iam exercent bona spe et animo fidenti, tametsi eam adhuc discendo accipere non potuerunt!"

* * * * *

Adhortationes opinionesque

Sacerdoti percussor quidam capitis damnatus responsum reddidit impudicum verbis his: "Desine nunc et tace, nam quinque minutas abhinc iam cum praefecto tuo loquar!"

* * * * *

"Confestim ante Deum ipsum stabis!" sacerdos dixit interfectori cuidam capitis damnato. Tum interfector: "Quid hoc vult", inquit, "quid nam rei est, ita fortasse totaliter sine capite?"

* * * * *

Contumeliae

Mulier quaedam Francogallica viro cuidam habitationem suam arroganter commonstrat. Ante ianuam cubiculi (dormitorii) salutator comiter caput corpusque inclinatur verbisque his loquitur: "Aha, ecclesia nostrae dominae!" ("Ah, l'église de notre dame") Tum mulier "Oh", inquit, "neutiquam nequaquamque, bone mi vir, domus invalidorum!" ("Le dôme des invalides")

* * * * *

Homo occultus tectusque

Alter: "Aha, vetus Valtharius Molinarius mortuus est? A quo autem morbo postremo est confectus?"

Alter: "Medici mortis causam exacte definire non potuerunt!"

Alter: "Quid ita? Fuit sane quidem vir tectus occultusque senex ille mirus!"

Alter: "Quid causae est, cur eum virum tectum occultumque revera fuisse opinaris?"


Alter: "Vero, nam ante mortem eius nemo sci(v)it, quomodo ille vixit, nunc autem nemo scit, quomodo est mortuus!"

AMICUS



SOLUTIONES

Solutiones ex aenigmate, quod vobis certamen ineundum in Rumore Vario 11+12/84 proposueramus, hoc loco publicantur:



De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium	secundum praemium	tertium praemium
Bernhard Christen	Christine Stuber	Sabine Szidat
Hafenstrasse 48	Mühledorfstr. 28	Sonnenrainstr. 11
8590 Romanshorn	3018 Bern	4533 Riedholz

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Aenigma

1. contrarium verbi "male"
2. dominam
3. perita
4. cupidus emendi

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann

1	2	3	4
2			
3			
4			



Hilaria ecclesiastica et sacerdotalia pars I

Sunt, qui Christianam fidem et religionem doctrinam tristem esse ac nullis gaudiis praeditam arbitrentur inimicamque omnibus rebus iucundis. Qui talia opinantur, aut mala fama adducti aut malis a Christianis docti sunt: eu-angelium enim est, ut Latine exprimam, nuntius bonus sive laetus. Caritas et gaudium praestant morositati et tristitiae! Christianos immo de se ipsis ridere posse testimonium sit vobis, cari legentes, libellus parochi cuiusdam nomine Aloys von Euw, qui nuper sub titulo "Ach, das himmlische Bodenpersonal" in lucem editus est. Hunc libellum perscrutatus nonnulla inveni digna, quae Latine reddantur ac in RVMORE nostro VARIO divulgentur. Sint vobis gaudio!

* * *

Hospiti cuidam miranti "O, quam pluchram ecclesiam possidetis, vicani!" indigena Bavaricus respondisse fertur: "Est, quod ei prudentissime parcimus."

Sacerdoti gaudenter milites quoque inter fideles versantes videnti ac missa finita ex uno eorum quaerenti, cur adfuissent, is morose: "Quod sclopetum (1) meum non rite ac recte purgavi."

Domina Barbara, mulier vere Christiana, olim serius quam ut deceret ecclesiam intravit sacerdote iam de peccato homiliam habente. Ergo mulieri ingredienti verba haec fere obsonuerunt: "Unde vitium venit?" Tum Barbara timide: "Domo, domine parochie!"

In concilio quodam pastorum (animarum) ante cenam omnes post sellas stantes capitibus humiliter submissis orare videbantur. Oratione finita quidam e collega quaerit, quot numeros numerare soleat in orando. Qui: "Ego usque ad numerum XXVIII. numero, sed sunt, qui usque ad numerum XXXV. numerent. At eos hypocritas (2) existimo!"

Catholicus quidam propter innovationes post Concilium Secundum Vaticanum introductas valde inquietus Iohanni XXIII. papae his verbis scripsit: "Tua Sanctitas! Matre nostra ecclesia claves caelestes possidente cur opus est talibus innovationibus?" Cui papa subridens: "Quia reformati (qui dicuntur) interea serraturam commutaverunt!"

Petrus cum portam caelestem aperuerit, et sacerdotem et aurigam coenautocineti (3) crevit. "Intra, quaeso!" principe apostolorum aurigae imperante sacerdos "Cur iste me prior intrabit?" furens clamitat. At Petrus: "Causa haec: Cum tu praedicabas, homines dormiebant, cum autem iste coenautocinetum vehebat, homines orabant."

In eodem oppido olim duo viri eiusdem nominis habitabant, quorum alter in Africam iter fecit, alter vita decessit. Errore aliquo litterae illius, qui in Africam profectus erat, ad viduam defuncti translatae sunt. Quam, cum legisset "Iter optimum, sed calor infernalis", animus reliquit.

Puer parvulus primum confitens (4) se uxorem vicini cupivisse affirmat. Sacerdoti propter minorem confitentis aetatem perterritus sincere patefacit: "Placentas fartas (5) sapidiore coquit quam mater mea!"

Alumnus scholae catholicae confitetur: "Pater mi, cum nuper ludo pedifollis (6) interfui, magnam incitavi rixam." -

"Quid ultra?" - "Puero manus adversariae duos dentes effregi." - "Quid ultra?" - "Alterius pueri nares ita tractavi, ut sanguinem effunderet, tertii lumbos calcavi." - "Quod non modo iniustissimum fuit ac contra omnia iura humana, sed etiam legem Christianam, ut fratres tuos amares, flagranter violavisti! Quam contra manum lusistis?" - "Contra alumnos gymnasii Martini Lutheri." - "Ehem, sunt pueri pueri, pueri puerilia tractant!"

Marco parvulo multa et mala confesso sacerdos gemens: "Timeo, ne te numquam in caelo visurus sim." Tum Marcus perterritus: "Quid horribile tu commisisti, domine parochus?"

Amicus olim rustico cuidam ad magistratum vectigalium gradienti ac interroganti, quem sanctum in rebus istis advocaret, respondit sanctum Bartholomaeum esse advocandum, quia ei vivo cutis detracta esset.

Parvula Franciscula propter aliquod criminulum procul a mensa in tablinii angulo posita cena confecta ita orat: "Domine Deus, tibi gratias ago - mensam enim mihi parasti in facie adversariorum meorum."

Tribus pueris olim canis parvus datus est, sed, cum assentiri nequirent, cui eorum esset, statuerunt, ut ei esset, qui optime mentiri posset. Tum mentiendi incohaverunt ita, ut sacerdos forte praeteriens perterritus exclamaret: "Cum totidem annos natus eram, quot vos nunc estis, egomet ne sciebam quidem, quid esset mendacium!" Tum pueri una voce: "Demus sacerdoti canem!"

- | | |
|---------------------------------|--------------------------------------|
| (1) sclopetum, - i, n | Gewehr, fusil, gun |
| (2) hypocrites, -ae, m | Heuchler, hypocrite |
| (3) coenautocinetum, -i, n | Autobus, omnibus, bus |
| (4) confiteri | (h): beichten, confesser, to confess |
| (5) placenta farta, - ae -ae, f | Krapfen, beignet, fritter |
| (6) pedifollis, -is, m | Fussball, football football |

Martinus Meier

SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

Praeteritorum seminariis Latinis annorum magno successu coronatis et hoc anno nostro 1985^o eiusmodi seminaria suscipientur tempore aestivo autumnalique. Haec sunt Selestadiense, quod est iis reservatum, qui iam unum vel complura participaverunt, Bottropiense, Vestendense more solito.

Addetur illis autem SEMINARIUM HELVETICUM, quod erit inter diem 29um mensis Septembris et 5um mensis Octobris in vi-co parvulo, sed amoenissimo situ praedito, qui Morschach vocatur at-que situs est supra lacum Quattuor Pagorum (Vierwaldstättersee). Ad id seminarium imprimis ii invitantur, qui adhuc nondum Latine loqui ausi sunt, sed ardore loquendi capiuntur (scilicet etiam "lepores veteres" - ut nos dicere solemus - consalutabuntur!)

In ipso seminario non modo Latinitas viva excellentissime exercebitur, sed etiam hilaritas sodalitasque inter participantes undique convocatos variisque professionibus fungentes coletur optime moderante et exercitationes et gaudia Patre Caelesti Eichenseer, viro linguae Latinae moderna longe peritissimo.

Quid nunc, care lector, Tibi erit faciendum, si Te interfore statueris?

Primum Tibi solvendae erunt 120 marcae Germanicae occidentales, quas mittas velim ad: VOX LATINA
18353 - 661
Postgiroamt
Saarbrücken / BR Deutschland

Eam pecuniae summam pro ipsa institutione solvi oportet, non pro habitatione et pernoctatione! In solvendo Tibi indicandum erit, cui seminario interesse velis.

Deinde epistulam vel chartam interrogatoriam mittas quaeso ad alterutram ex inscriptionibus infra indicatis:

Martin Meier	Erika Roth
Nassegasse 14	Aeschstrasse 6
CH-3302 Moosseedorf	CH-3110 Münsingen

Pro habitatione et pernoctatione Tibi ipso in hospitio nostro, i.e. in "Domo Sancti Antoni(i)" prope vicum nomine Morschach sita, circiter 50 franci Helvetici cottidie solvendi erunt.

Sperandum est in seminario nostro Helvetico multos Helveticos linguam Latinam amantes adfuturos esse et discipulos et magistros ceterisque professionibus studentes.

Martin Meier
Erika Roth
Hans-Ueli Gubser

His autem nostris diebus.....

De novo tributo autoreadem ducentibus in Helvetia imposito

Cari legentes

Nuper in aliqua Turici caupona audivi dialogum inter duos viros habitum. Haec sunt, de quibus disputabat Helveticus (H) cum Germanico (G):

H.: "...Praeterito anno nos Helvetii plebiscito habito sanximus novam legem, quae iubet tributum XXX francorum Helveticorum annum solvendum esse omnibus, qui autoraedam in stratis autocineticis Helveticis (strata autocinetica = Autobahn) ducere velint. Cui legi non modo Helvetii ipsi, sed etiam omnes advenae alienigeni parere debent, qui ex terris finitimis Helvetiam aut visitant aut transeunt stratis autocineticis usi."

G.: "Quem ad usum, cui bono haec lex constituta est?"

H.: "Tributum exigitur, quo civitas illud pretium et futuris temporibus solvere possit, sine quo stratae autocineticae conservari non possunt. Quarum primae Helveticae enim VI^o decennio nostri saeculi constructae erant; reliquae, quas adhuc in Helvetia confectas invenias, VII^o decennio; quarum recentissimae modo praeteritis annis institutae sunt. Aetate progrediente semper maiore pretio sustentandae et conservandae erant. Quod pretium stratarum autocineticarum quotannis sustentandarum adhuc aerario solvebatur e solis tributis, quae autoraedarum gubernatores pretio benzini inclusa benzinario (benzinarius, -i, m. = Tankwart) pro omni immissario benzini (immissarium benzini = Benzintank) impleto solvebant et semper solvent. Sed illud tributum nostris diebus - pretiis pro omnibus labori-

bus, etiam pro publicis, maxime auctis - ad finem principio posito non iam suppetebat. Itaque novo tributo ad stratas Helveticas conservandas priori addito opus erat. Quod nunc exigitur nomine "Autobahnsteuer" appellatum, lege descripta confirmatum."

G.: "Plane intellego, mi amice. Sed dic age: Cur non modo vos Helvetici, sed etiam nos alienigeni hoc novo tributo premimur, ubi primum stratis autocineticis Helveticis proficiscimur?"

H.: "Libenter Tibi causam exponam. Tributum novum ab omnibus stratis autocineticis utentibus exigitur ea mente, ut qui autoraeda sua illas stratas deterat partem suam ad eas reficiendas contribuat. Licet nos Helvetici ipsi stratas nostras maxima ex parte deteramus; tamen haud minima ex parte deteruntur etiam a vobis advenis, qui - quotannis centena milia hospitem - stratas nostras autoraeda frequentatis patriam nostram aut visitantes aut transeuntes! Nonne illa damna, quae stratis autocineticis omni anno oriuntur, iure et merito aere reficienda (vel melius dicam solvenda) sunt eorum, quorum autoraedis efficiantur?"

G.: "Opinionem tuam assentior, sed age dic porro: Cur Helvetii soli tale tributum a gubernatoribus autoraedarum poscunt?"

H.: "Non est ita, ut dicis. Immo vero etiam Italici simile tributum imponunt omnibus stratis autocineticis in Italia proficiscentibus."

G.: "Nos autem cives Civitatum Foederatarum Germaniae nullo tali tributo premimur neque id alienis, qui stratis autocineticis nostris utuntur, imponimus!"


H.: "Verum dicis. Sed nisi fallor iam orta est disputatio inter cives patriae tuae, utrum simile tributum instituatis necne. Cur vel quo iure denique nobis Helveticis ac vobis Germanis non instituere liceat, quod Italicis iamdudum licet?"

G.: "Quae dixisti - hercle! - sunt digna, ut animo recenseantur! Sed mihi semper hoc remanet obscurum: Quo discrimine custodes publici Helvetici discernere pos-


sunt inter alterum, qui tributum, quem "Autobahnsteuer" vocatis, iam solvit et alterum, qui nondum solvit?"

H.: "Haec res facillime solvi potuit. Quicumque enim tributum solvit simul accipit parvam tesseram glutinosam, quam unum annum valentem vitro antiaërio (vitrum antiaërium = Windschutzscheibe) autoraedae suae afficiat. Ita si fecerit, stratas autocineticas Helveticas per totum annum frequentare potest nullo custode publico inhibente. Libenter Tibi formam tesseræ demonstro, ut melius cognoscas:

Hic vides tesseræ frontem: Pars tesseræ aversa demonstrat imagine, quo loco in vitro antiaërio autoraedae agglutinanda sit:



Bitte an eine dieser Stellen kleben.
A coller à l'un des endroits indiqués s.v.p.
Da incollare in uno dei posti indicati qui appresso p.f.
Please fix it at one of these places.



Zerstört sich beim Entfernen von der Windschutzscheibe.
Se détruit lorsqu'on l'enlève du pare-brise.
Togliendolo dal parabrezza, il contrassegno si distrugge.
Gets destroyed when detached from the front window.

G.: "Optime delineavisti, Helvetice amice! Gratias Tibi ago. Sed nunc domum revertar, ut legam novissimum Rumoris Varii libellum. Nisi fallor, et in illo de novo tributo aliqua lectu digna divulgata sunt. Vale!"

H.: "Recte quidem dixisti: Rumor Varius interdum symbolas ad res modernas pertinentes continet. Et Tu semper valeas!"

Udalricus Aeschlimann

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Datum und Unterschrift